Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1077

Quelle:
Copyright:

predicatorum wienne per venerabilem virum Magiſtrum thomam de haslpach de rebus diuine memorie Magiſtri Conradi de halſtat (qui ab anno 1426. ad an. 1456. novies magiſtratum ſupremum Academicum geſſit) *ſacrorum canonum olim doctoris eximij, cuius animam deus clementer reſpicere dignetur eterne beatitudinis corona eandem veſtiendo ſine fine Amen Anno 1460.* Inſunt in eo ſequentia: I. *Incipiunt meditaciones Beati Bernhardi Summe vtiles omni homini Sed maxime viro religioſo.* Extant in *edit.* Opp. *Maurina Pariſ.* 1690. T. V. col. 319. ſed in *Monito* praevio inter dubia *Bernardi* Scripta cenſentur. Praeferunt ſaepius titulum: *De interiori Homine*, et, dum in editis XV. *Capita* conſtituunt, in *Cod.* noſtro L. *Capp.* definiuntur, quorum primum incipit: *Multi multa ſciunt et ſemetipſos neſciunt* &c. ultimum terminatur: *in quo ſponſum cum ſponſa proſpicies vnum eundemque dominum glorie. Qui viuit et regnat* &c. Lectio ſatis ſincera eſt. Sequitur *Index*, cui etiam *Index* ſequentium *trium* Operum connexus eſt.

II. *fol.* 22. *Incipit prefacio Beati Bernhardi abbatis de conſideracione ad eugenium papam. Primum Capitulum. Non ſcribit pape ex* (prae) *ſumpcione ſed ex amore et eiusdem peticione, et ad eum oſtenditur magnus amor.* Ita ſingulis V. Librorum Capitibus praefixum eſt Summarium. Prooemii ſeu C. 1. initium eſt: *Subit animum dictare aliquid, quod te papa beatiſſime Eugeni uel edificet, uel delectet, uel conſoletur* &c. Finis L. V. *Proinde is ſit finis libri ſed non finis querendi.* Opus iſtud, quod omnium, qui praeſunt, ἐγχειρίδιον eſſe deberet, extat edit. *ſuprac.* T. II. *col.* 407. paucioribus, quia longioribus, Capitibus definitum, quam in noſtro *Cod.* ad cujus calcem minio legitur: *Explicit liber quintus beati bernhardi abbatis ad eugenium papam de conſideracione*, et ſtatim

III. *fol.* 74. *Incipit liber eiusdem Bernhardi miſſus ſenonenſi archiepiſcopo* (Henrico). *Capitulum primum. Excuſat ſe de ſcribendo tanto viro dicens ſe non ſcribere ex preſumpcione ſed ex obedientia imperantis.* Agitur de Moribus et officio Epiſcoporum, Capitibus L. quibus in edit. *cit.* T. II. *col.* 461. reſpondent IX. prolixa. Initium C. 1. eſt: *Domino ſuo venerabili ſenonenſium H. archiepiſcopo. frater Bernhardus ſi quid peccatoris poteſt oracio. Placuit veſtre preſtancie* &c. Finis ultimi: *dum morem modumque ſollempnem in ſcribendo ſeruare neſcirem.*

IV. *fol.* 91. p. 2. *Incipit liber beati bernardi abbatis clareuall. editus abbati cluniacenſi de diſciplina monachorum. Capi. primum. Non ex preſumpcione ſcripſit ſed rationabili cauſa coactus.* Abbas is eſt *Guilelmus*, qui antequam *Ciſtercienſibus* in Coenobio *Signiacenſi* ſe addiceret, Monaſterio S. *Theodorici* Monachorum nigrorum in *Monte aureo* prope *Remos* praefuit,